

one, si *Hugonem Carensem* heic audiamus,) ut ostenderem tibi firmitatem (ἀσφάλεια, ἀρρέκεια sive δόξα ἀπρεκῆ, quæ tam certa est, ut negari non possit) eloquia veritatis, quam referas his, qui mittunt ad te. Nisi fortè doctrina de Angelis eorumq; in nos homines ministeriis, officiis & beneficiis non est pars illius legis, de quâ Deus in Lege repetitâ (*Deut. VI, 6: 7.*) per os Moysis edixit, *Eruntq; verba hæc, quæ ego precipio tibi hodie, in corde tuo, & narra- bis ea filiis tuis & loqueris de eis sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntq; & movebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostiis domus tue:* Nisi forte, inquam, Doctrina isthæc non est ἐκ τῶν κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένων (*Actor. XV, 21.*) Omninò verò doctrina de Angelis sit etiam primò in corde (quod paullo antè monebat *Hugo*) ut velut preciosissima quædam cognitio cordi inscribatur & includatur; secundò sit in ore, quò assiduos de Angelis sermones domi & foris, noctu & interdiu institua- mus; tertiò in opere, ut per totam nostram vitam iisdem exhibeamus continuam reverentiam, in omni loco, in omni angulo, quod graviter olim monuit sanctus *Bernhardus*. Omni momento nos sibi obligant, omni momento beneficia præstant, nullum punctum est aut hora, quo illorum beneficio non utamur fruamur. Et quod de Nerone *Horatius*

Nil *Claudiæ* non efficient manus,
nos rectissimè & verissimè de his coelestibus militibus

Nil Angelium non efficient manus.

Omniū temporum sunt, omniū locorum, omniū æta- tum: adolescentiam alunt, senectutem stabiliunt, secundas res adjuvant, in adversis perfugium ac solatium præbent, promo- vent domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, pere- grinantur, rusticantur. Ita enim hæc disertissimò *Romulida- rum* (*Cicer. pro Archiâ*) extorquenda fuerunt. Angeli (*non Ge- nius*